

1426 Constant enim fama erat, novam a Florentinis legationem per eos dies Venetias venisse. Veritus ob id Philippus, ne Veneti satis sua sponte ad defectionem inclinati, Florentinorum societatem complexi, a se alienarentur, voluit suos quoque legatos adesse, qui, si ita facto opus videretur, suam in Senatu causam agerent.

Ubi itaque illi Venetias venere, tum vidisses dissimili habitu legatos per urbem incedere: Laurentium (ut par erat) præsentem patriæ fortunam tristitia & mœrore fassum, sollicitum circuire, Senatorum obvios prehensare, plurimos domi convenire, nihil quod ad præsentem legationem attineret, intentatum relinquere. Contra Philippi oratores, præter pompam rerumque omnium ornatum, fiduciæ & spei pleni, urbem tum primum visam, novo stupendoque situ conditam perlustrare: ubique illam maritimam, ubique terrestrem admirari: salutare ultro omnes, benigne respondere, & brevi sui Principis felicitatem vultu, oculis, lingua, incessu significare. Visum itaque Patribus est, primo Thuscum audire: qui in Senatum introductus in hunc modum dicitur locutus: *Quid rei mihi apud vos hoc tempore, quid novissima hæc Florentinorum sibi velit legatio, vel me tacente, intelligere potestis, Princeps & Patres conscripti. Intellexerunt & illi, qui me his diebus ex Hetruria profectum irrequieto hac cursu properantem viderunt, liberæ civitatis legatum, a libero populo opem & auxilium libertati petiturum. Eo itaque nostra spectabit oratio, ut patriæ, quæ me genuit, educavit, honestumque in civitate locum tenere voluit, salutem dicendo implorem; atque, si fieri possit, a vobis implorando impetrem. Quod si illud consecutus fuero, ut in tyrannum sævissimum, nostræ libertati insultantem, vestræ, Princeps & Patres, infensum, oblatam Florentinorum societatem non aspernati, socia nobiscum arma jungere velitis, felici me functum legatione, cum lachrymis præ nimio gaudio obortis lata patria excipiet, amplexabitur civitas in hanc unam expectationem erecta, seque vestro beneficio omni defunctam periculo arbitrabitur. Alit idvotum, hanc spem nostram*  
illud

*Utrique in  
Senatu au-  
diuntur, &  
primo Flo-  
rentini.*